



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Nonnullæ obiectiones contra doctrinam traditam soluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

Equipollentia primæ figuræ perspicua est, si enim cursus Petri est possibilis, cum possibile, non omnem, sed aliquam differentiam temporis, in quo res possit esse, amplectatur, ut supra monuimus; ergo in aliqua potest non esse, ergo est contingens: rursus, si est conringens, & possibilis; ergo non est impossibilis: demum, si non est impossibilis cursus sed contingens, & possibilis; ergo eius carentia potest non esse, eo nimirum existente; ergo non est necessaria. En quatenus equipollent Petrum currere esse possibile, esse contingens, non esse impossibile, & eum non currere, non esse necessarium: hæc autem quatuor ea dictione, Amabimus, eiusque quatuor propositionibus continentur, omnes ergo quatuor equipollent. Cæterarum dictionum, seu figurarum eadem est ratio, ut intuenti constabit. Scitè D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 17. *quidquid namque cogitur esse, prohibetur non esse, & quod cogitur non esse, prohibetur esse: quemadmodum quod necesse est esse, impossibile est non esse, & quod necesse est non esse, impossibile est esse, & conuersim*: ubi ad equipollentiam propositionum modalium magna ex parte videtur alludere.

6 Oppositio etiam modalium est in propatulo: nam Iliace, & Purpurea, contrariè opponuntur, quod ita suadeo: hæc propositiones, Petrum currere, est necesse, & Petrum non currere, est necesse, quarum altera est in Iliace, altera in Purpurea, contrariæ sunt; siquidem in falsitate non opponuntur, secus vero in veritate, ut apertissimum est: at iis reliquæ equipollent: igitur omnes hinc inde suo ordine opponuntur, prima primæ, secunda secundæ, & sic de reliquis. Confirmatur, quia altera est vniuersalis affirmatiua, altera vniuersalis negatiua, & modum vniuersalem, saltem æquiualemter includit.

7 Rursus Amabimus, & Edentuli subcontrariè opponuntur. Nam hæc, Petrum currere, est possibile, Petrum non currere, est possibile, possunt ambæ esse veræ, secus vero simul falsæ; quod ambæ possint esse simul veræ, liquet, cum Petrus possit currere, & non currere, quod autem simul falsæ esse nequeant, non minus perspicuum est: Nam, ut secunda falsa sit, opus est, ut Petrum non currere sit impossibile, ac proinde ut eum currere sit necesse; eo autem ipso, quod eum currere sit necesse, eum currere debet esse possibile, cum necessitas possibilitatem includat: vnde prima propositio affirmans eum currere esse possibile, nequit esse falsa, supposita falsitate secundæ, quæ eum non currere esse possibile enunciat. Tum sic, eæ propositiones sunt in Amabimus, & Edentuli: igitur omnes propositiones his figuris inclusæ opponuntur subcontrariè, cum omnes æquipolleant duabus, quas subcontrarias probauimus. Deinde Iliace, & Purpurea, cum sint modi vniuersales, subalternant alios duos modos, qui sunt particulares, eorumque veritatem, & falsitatem continent, ut expendenti liquebit. En oppositionem subalternam.

8 Demum Iliace, & Amabimus ex vna parte opponuntur inuicem contradictoriè, & Purpurea, atque Edentuli ex alia: tum, quia bini sunt modi vniuersales affirmatiui, & bini particulares negatiui, ut ex supra dictis dilucidum est: ergo contradicunt, sicut hæc de inesse, omnis homo currit, aliquis homo non currit: Tum, quia, hæc Petrum currere, est possibile, Petrum currere, non est possibile, altera in Amabimus, altera in Iliace, contradictoriæ sunt, & quia in veritate, & falsitate opponuntur, & quia æquiualemter his, Petrus potest currere, Petrus non potest currere, quas contradictorias esse, quis ambigat? at his

duabus duæ illæ figuræ æquipollent; igitur Amabimus, & Iliace contradicunt; eadem est ratio de aliis duabus figuris.

9 Quod ad conuersionem modalium spectat, ex parte dicti, non modi conuertuntur hac ratione; Petrum currere, est possibile; ergo aliquod currens esse Petrum, est possibile: quare in earum conuersione regulæ conuersionis absolutarum locum habent. Qui autem conuersionem modalium velit distinctius, & magis in particulari explicatam, is adeat nostros Conimbricenses tom. 2. log. lib. 1. de prior. resolut. cap. 3. per totum.

10 Ut autem totam doctrinam huius capitis & præcedentis in compendium redigam, atque quantitatem, qualitatem, æquipollentiam, oppositionem, & conuersionem modalium sub vno mentis aspectu proponam; en earum inprimis quantitatem, & qualitatem sequentibus versiculis clusam:

Omne necesse valet, valet impossibile nullus,

Contingens quidam hand, nec non possibile quidam. Videlicet, sicut, *omne*, est particula vniuersalis affirmatiua, ita, *necesse* modus vniuersalis affirmatiuus; & quemadmodum, *nullus*, est syncategorema vniuersale negatiuum, ita, *impossibile*, est modus vniuersaliter negans, ac neganter vniuersalis; & quæ ratione hæc voculæ, *quidam hand*, & *quidam*, ita sunt institutæ, ut altera sit particularis negatiua, & altera particularis affirmatiua, ita similiter, *contingens*, ad instar prioris particulariter negat, & *possibile* ad instar posterioris particulariter affirmat. Equipollentia autem modalium quatuor illis figuris, Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli, clauditur, sicut est superius explicatum.

11 Oppositio modalium sequentibus versiculis continetur, quos antiqui dialectici ad memoriæ fulcrum compoñere, quare licet ornatum in eis desideres, non tamen vilitatem qualem qualem.

Tertius est quævis semper contrarius ordo.

Sui tibi linea subcontraria prima secunda.

Tertius est primo contradictorius ordo.

Pugnat cum quarto, contradicendo secundus.

Prima subest quarta, vice particularis habens se.

Hæc habet ad seriem, se lege secunda sequentem.

Tandem conuersio modalium iisdem, quibus absolutarum conuersio regulis est metienda.

CAPVT III.

Nonnulla obiectiones contra doctrinam traditam soluntur.

12 **R**ecentiores aliqui in communem doctrinam modalium à nobis traditam multis insurgunt argumentis: ac primò contrà earum quantitatem argumentantur ita: omnis propositio modalis est in materia remota, aut necessaria: at quævis propositio in his materiis amplectitur omnes temporis differentias, cum sit sempiternæ veritatis, aut falsitatis; igitur omnis propositio modalis complectitur omnes temporis differentias; ac proinde omnis est vniuersalis, & nulla particularis aut certè maior, aut minor extensio ad tempus, ad quantitatem modalium impertinens est, contrà, quam supra docuimus. Confirmatur, & declaratur: propositiones modales, quales quales sint, non existentiam rei, sed modum ei essentialem affirmant; at quod rei essentialia est, pro omni temporis differentia ei conuenit; igitur propositio modalis omnem temporis differentiam amplectitur

plectitur. Secundò, Petrum currere est contingens, Petrum currere non est contingens contradicunt, & altera propositio alteram falsificat, nulla propositio particularis alteram particularem falsificat; igitur ambæ particulares non sunt, cum tamen ambæ per modum contingens procedant, ac per consequens hic modus particularis non est, uti semel, & iterum edocuimus: minor probatur in his propositionibus, aliquis homo currit, aliquis homo non currit, & reliquis similibus, quarum altera alteram non falsificat, cum ambæ sint particulares. Tertio possibile, & contingens præcisè sumpta non magis hanc, quam illam temporis differentiam respiciunt ut compertum est; igitur per omnes vagantur, haud secus, ac necesse, & impossibile.

13 Ad primam rationem oppositam, & eius confirmationem respondeo, aliud est propositionem modalem respicere omnes temporis differentias: aliud modum à propositione seorsim sumptum eas respicere: illud prius tantum aduersarij conuincunt, & ad vniuersalitatem propositionis modalis non sufficit: aliàs etiam hæc, *de inesse*, Petrus est animal, esset vniuersalis, cum sit materia necessaria, ac proinde omnes temporis differentias amplectatur. Hoc posterius ad vniuersalitatem modi, ac proinde modalis satis est, ut constat, nec eius contrarium aduersarij conuincunt. Confirmatur, quantitas propositionis absolutæ à tota propositione non sumitur, aliàs hæc propositio, Petrus est homo non magis singularis, quam vniuersalis esset, cum de subiecto singulari prædicatum vniuersale affirmet, imo magis vniuersalis esset, cum omnes temporis differentias adequatè sumpta amplectatur: igitur similiter quantitas propositionis modalis non à tota ea sumitur, ut aduersarij nituntur, vnde propositio modalis & de inesse in eo differunt, quod hæc quantitatem à solo subiecto sumit, non vero à prædicato, modalis vero à solo prædicato, nimirum modo, non vero à subiecto, seu dicto; in eo verò conueniunt, quod neutra à tota propositione quantitatem sumat, quæ conuenientia ex illa differentia aperte sequitur.

14 Ad secundum tripliciter respondeo: primo, ut propositio aliqua sit vniuersalis, sufficit, ut modum vniuersalem æquiualeenter includat: at illa propositio, Petrum currere non est contingens, modum vniuersalem æquiualeenter inuoluit, cum æquiualeat huic, Petrum currere, non est possibile, ut ex figura, Iliace, constat: igitur est vniuersalis. Deinde esto ambæ modales particulares essent, adhuc contradicere possent, quamuis in absolutis aliter vsuenerat: quod à pari ita suadeo, duæ propositiones simplices singulares formaliter contrariæ esse nequeunt, & tamen duæ propositiones complexæ singulares formaliter contrariæ esse possunt, ut supra probauimus: igitur similiter quamuis duæ propositiones absolutæ particulares contradicere nequeant, tamen duæ propositiones modales particulares contradicere poterunt. Demum propositiones allatæ per modum, contingens, ambæ procedunt; sed aliter, & aliter: nam in prima nulla ei negatio proponitur, in secunda verò ei præponitur: vnde non mirum, quod, cum modus particularis sit, primam reddat particularem, secus vero secundam: qua ratione syncategorema, *aliquis*, cum particulare sit, nulla negatione præposita propositionem absolutam particularem reddit, negatione vero præposita vniuersalem reddit, ut cernere est in his contrariis, aliquis homo currit, non aliquis homo (seu nullus homo) currit.

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

Ad quartum respondeo: possibile, & contingens ob eam indifferentiam ad omnem differentiam temporis eam permissiue respicit, quia non repugnat possibile esse, & contingens non esse in quauis temporis differentia: at impossibile, & necesse ad omnem temporis differentiam, non solam indifferentiam, sed determinationem habent, quia repugnat impossibile esse, & necesse non esse in quauis temporis differentia: vnde positiue omnem, & quamuis respiciunt, sicut ad vniuersalitatem modi requiritur: ratio verò facta, non positiua, sed permissiuam amplitudinem probat.

15 Rursus contra æquipollentiam modalium ita arguunt: primo, plura sunt possibilia, & apta exsistere, quæ non sunt contingentia, & apta non exsistere, qualia sunt hominem esse animal rationale, Deum esse, & similia: igitur possibile, & contingens, seu, quod perinde est, propositiones eis affectæ non æquipollent, cuius contrarium supra edocuimus: Secundò arguunt in modo contingentia & necessaria: nam in dictione, Purpurea, prima, & vltima propositio, videlicet Petrum non esse equum non est contingens, Petrum esse equum est necesse, non æquipollent, cum altera sit vera, & altera sit manifeste falsa; posterior namque adstruit, Petrum esse necessariò equum, quo nihil magis falsum: prior vero, Petrum non esse contingentem non equum, hoc autem est verum, ut quod maxime; Petrus enim non contingentem, sed potius necessariò est non equus.

17 Resp. ad hæc in generali: sicut ad oppositionem contrariam satis est repugnàtia in sola veritate ratione formæ, non ratione materiæ, qua ratione hæc propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal sunt contrariæ: quia, licet simul falsæ esse nequeant, id ratione materiæ necessariæ prouenit, siquidem in aliqua materia, nimirum contingentia sub eadem forma possunt simul falsificari; ita similiter ad veram æquipollentiam sufficit, quod ratione formæ simul veræ, aut simul falsæ esse debeant, & quod in aliqua materia, nimirum contingentia, in veritate, aut falsitate necessario conformes sint, esto in materia remota, aut impossibili, seu etiam necessaria alia vera, alia falsa esse possit, sicut rationes adductæ probant.

18 Ad primum ergo sigillatim respondeo, distincto consequenti; non æquipollent in omni materia, concedo consequentiam; in aliqua materia, videlicet contingentia, nego consequentiam: & hoc ad veram, & simpliciter sumptam æquipollentiam sufficere, ex dictis constat. Ad secundum quamuis propositionum in Purpurea altera vera, altera falsa necessariò sit, id à materia, non à forma propositionum prouenit, cum in materia contingentia simul falsæ, aut veræ sub eadem forma sint, quod ad æquipollentiam sufficit: nota, in propositione modalis me loqui de materia contingentia solius dicti, non totius propositionis.

19 Aliter fortasse respondebit non nemo utrique argumento; contingens videlicet iuxta Aristotelem lib. 1. de priori resolut. cap. 3. & Collegium Conimbricense ibidem in textu littera D contingens tripliciter vsurpari: primo, ut perinde sit, ac necessarium; qua ratione dicitur contingere, ut Petrus, v.g. sit homo: secundò, ut sit idem, ac potens esse, & non esse, & ad utrumlibet horum indifferens, iuxta superius cap. 1. disputata: tertio, quatenus est idem, ac possibile: prima, & postrema vsurpatio est admodum impropria, media vero propria: quibus positis utrumque argumentum factum hoc tantum

concludere, contingens in secundo sensu sumptum, nec passibili, nec necessario æquiuale, secus verò, si sumatur in primo, & ultimo sensu. Verum, cum de contingenti in secundo tantum sensu sermo sit in præsentiarum, quidquid de eo aliter usurpato adducitur, non est ad rem, nec difficultatem alleuat. Confirmatur: contingens in primo sensu non æquiuale modo necessario, sed est cum eo formaliter idem: simili modo se habet respectu passibilis, si sumatur in postremo sensu: at in secundo, & medio sensu neutri æquiuale iuxta hanc solutionem, ea ergo æquipollentiam modalium haud defendit: quocirca standum est ei, quæ à nobis est tradita.

20 Præterea contra modalium oppositionem ita opponunt primò: ad oppositionem contradictoriam, aut certe subalternam diuersa quantitas requiritur, at omnes modales sunt eiusdem quantitatatis. Secundò, omnes propositiones in Iliace ex vna parte, & Purpurea ex altera sibi æquipollent, quod idem de aliis duobus modis dempta vtriusque quarta dicendum est, vt intuitu constabit; ergo non opponuntur. Respondeo ad primum, diuersam esse modalium quantitatem, vt supra docuimus: deinde quamuis eadem esset, adhuc oppositionem contradictoriam, subalternam, & reliquas in eis locum habituras, sicut in singularibus de inesse eas locum habere supra probauimus. Ad secundum, quarta propositio in Purpurea, & quarta in Iliace, videlicet, Petrum currere est necesse, Petrum non currere, est necesse, de quibus expresse loquuntur, manifestè contrariæ sunt, non æquipollentes: nam simul veræ esse nequeunt; quo enim pacto simul cursus, & carentia cursus necessarij esse possunt: at simul falsæ sunt, cum Petrus neque necessario currat, neque necessario non currat: idem de reliquis apertè probari potest.

21 Tandem contra conuersionem modalium arguunt primò: hæc propositio est vera; necesse est, omne grammaticum esse hominem: & tamen hæc falsa; ergo necesse est, aliquem hominem esse grammaticum: similiter hæc est vera, necesse est, omne ridens esse hominem, & nihilominus hæc falsa, ergo necesse est, aliquem hominem ridere: item hæc propositio est vera; contingens est, aliquem hominem esse hominem albi, & tamen ista falsa, ergo contingens est, aliquem hominem album esse hominem; præterea hæc est vera, possibile est, nullum equum requiri ad equitandum, & nihilominus hæc est falsa, ergo possibile est, nullum requisitum ad equitandum esse equum: propositiones ergo modales non conuertuntur ex parte dicti iuxta regulas absolutarum: nam propositiones absolutæ, siue de inesse, si sunt vniuersales affirmatiuæ, conuertuntur per accidens: si particulares affirmatiuæ; simpliciter, si vniuersales negatiuæ; simpliciter itidem: his autem modis conuerti non possunt ex parte dicti propositiones modales, vt adducta suadent exempla. Arguunt secundò in modis negatiuis hæc propositio est vera, non est necesse, omne animal esse equum, & tamen hæc falsa, ergo necesse non est, aliquem equum esse animal: rursum hæc est vera, non est necesse, nullum equum esse animal, & nihilominus hæc falsa, ergo necesse non est, aliquod animal non esse equum: ex quibus etiam videtur manifestè sequi, propositiones modales haud esse conuertendas dicto tenus, iuxta absolutarum normam. Quod argumentum fieri potest eadem vi, si non modus necesse, sed possibile negetur, atque in propositionibus obiectis loco eius particularæ, non est necesse, substituatur hæc, non est possibile, vel est impossibile, vt intuitu constabit.

22 Ad primum argumentum respondeo nostram do-

ctrinam esse, regulas conuertendi, quæ tenent in absolutis, easdem vim habere in modalibus; si quæ autem non valent in absolutis, quid mirum, si in modalibus locum non obtineant? at exempla obiecta, si cuius sunt momenti, id conuincunt, propositiones absolutas, ac ratione suæ quantitatis, & qualitatis vniuersales affirmatiuas haud conuerti per accidens: item particulares affirmatiuas, & vniuersales negatiuas non conuerti simpliciter: nam hæc iuxta arguentes, aut certè eorum argumentum est vera, omne grammaticum est homo, non tamen sequitur: ergo aliquis homo est grammaticus: hæc etiam est vera, omne ridens est homo; nec propterea inferitur, quod aliquis homo sit ridens: ista similiter est vera, omnis homo albus est homo, non tamen hæc, aliquis homo est homo albus: pari modo iuxta eosdem, eorumve quidem argumentationem, hæc erit vera, nullus equus requiritur ad equitandum, non tamen hæc, nullum requisitum ad equitandum est equus: Haud ergo nobis oberit, si quæ respondent eiusmodi propositionibus absolutis modales nequeant per accidens conuerti ex parte dicti vniuersalis affirmatiui, aut simpliciter ex parte dicti, seu particularis affirmatiui, seu vniuersalis negatiui, sed potius vtramque conuersionem respuant. Deinde respondeo, exempla allata in propositionibus absolutis, adeoque in modalibus etiam nullius esse momenti, ac nihil concludere, sicut ostensum est supra, eo loci, quo sermo erat de conuersione propositionum absolutarum.

23 Posterius argumentum, quod, non, sicut prius in modis affirmatis, sed in modis negatis procedit, eatenus est priori melius, quod in propositionibus absolutis, earumque conuertendi regulis communiter ab omnibus admissis nullam patiatur instantiam. Sed tamen eius solutio est in expedito; etenim propositiones modales, in quibus negatur modus, æquipollent aliis, in quibus modus affirmatur: quocirca priores illæ reductæ ad has posteriores poterunt conuerti ex parte dicti, iuxta regulas absolutarum, etiamsi ita conuerti nequeant non reductæ ad æquipollentes suas, sed vt sunt usurpatæ, v.g. hæc propositio, quæ est vltima in Edentuli, necesse non est, omne animal esse equum, æquipollet huic primæ in eadem figura, non omne animal esse equum, siue quod instar est, aliquod animal non esse equum est possibile: hæc autem ita potest, ac debet conuerti per contrapositionem, aliquid non equum non esse non animal est possibile: item hæc vltima in Amabimus, nullum animal esse equum non est necesse, æquiuale huic eius primæ, aliquod animal esse equum, est possibile: hæc autem propositio eius figuræ primæ, conuerti sustinet simpliciter hoc pacto; aliquem equum esse animal est possibile. Eadem industria quæuis alia propositio modalis negatiua ex parte modi est conuertenda. Atque hinc liquet ad argumentum posteriori loco positum.

24 Et hæc de propositione modali: circa quam illud animaduertim, præter quatuor species hucusque à dialecticis assignatas, alias quatuor assignari posse, & debere, iuxta quatuor modos à communiter assignari solitis diuersos, videlicet bonum moraliter, malum moraliter, indifferens moraliter, & necessarium moraliter: quod ita suadeo, nam quatuor species communes propositionum modalium fundantur in quadruplici materia physica: sed materia moralis etiam est quadruplex: eodem ergo iure quatuor aliæ species debent in ea fundari: quarum tamen oppositionem, æquipollentiam, & conuersionem breuitatis studio missas facio.

CAPVT